



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Med. 47. De Prouidentia Dei in Status Religiosi institutione, etiam cum  
varijs Institutis, & aliquibus ad ea vocandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

Monita ad status electionem faciendam posita fuerunt in. 3. parte Meditatione. 7. & 8.

## MEDITATIO XLVII.

DE PROVIDENTIA DEI  
circa institutionem status Religio-  
si, & Varietatem Institutorum;  
aliquorumque ad eavo-  
cationem.

## PUNCTVM. I.

**C**ONSIDERANDVM est pri-  
mo, providentiam Diuinam  
statuisse, vt intra suam Ecclesi-  
am essent domus & familie Re-  
ligiosorum, Diuino ipsius cul-  
tui mancipiorum; idque ob altissimos &  
præstantissimos fines, quorum præcipuos hic  
perpendemus

## I.

S. Tho. 2. 2.  
q. 186.

PRIMVS est, vt ipsa Religio sit *sebola*  
Christianæ perfectionis, quæ in perfecta cha-  
ritate, & coniunctione cum Deo, & cum  
proximis cõsistit, reiectis rebus omnibus, quæ  
quo quomodo ab ea retrahunt, quò præcep-  
tum dilectionis, maxima qua fieri poterit per-  
fectione, impleatur. Quare ipsa Religio est  
etiam domus charitatis: est enim a *generatio*  
*querentium Dominum, & faciem eius, & locus*  
*b fratrum habitantium in vnum; congregatio*  
*c. Ecclesi. 3. 1.* & c. *Ecclesia filiorum sapientiæ; quorum natio*  
& conditio est obedientia & dilectio.

a Psal. 23. 6

b 132. 1.

c. Ecclesi. 3. 1.

HINC

HINC fit vt Religio fit etiam *schola imitacionis Dei & Christi* D. N. in qua Religiosi incumbunt in imitationem exemplarium Dei virtutum; contententes d *esse perfecti*, sicut d *Matt. 5. 48.* Pater cœlestis perfectus est, & imitari ipsū Christum, seruantes non solum eius præcepta, sed etiam ipsius consilia, amplectentes eo modo, quo illa ipse custodiuit.

II.

TERTIVS finis fuit, vt Religio esset *domus refugij*; ad quam fideles se reciperent, vt salui essent à periculis huius mundi, & securiorem redderent suam salutē, per media quæ in ipsa Religione sunt efficaciaz ad fugiendas culpas, & occasiones earum; & ad obtinendas virtutes, cum perseverantia in eis vsq; ad mortem: ita vt per statum Religiosū, & Religiosas domos, impleatur quod cupiebat Dauid, cum dixit Deo D. N. *e esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias.* e *Psal. 30. 3.*

III.

IV

QUARTVS finis fuit, vt ipsa Religio fit *domus recreationis* Deo D. N. in medio terræ, & *paradisus voluptatis* eius. cū enim *genus delicta sint esse cum filijs hominum*; ita disposuit eius Diuina prouidētia, vt esset aliqua domus priuata aliquorū singulariū amicorū, & sibi familiarū quibuscum ille cōuersaretur, & suas haberet delicias, h *quia & ipsi adherēt Domino, vt colant eū & diligant nomē eius, vt sint ei in seruos.* h *Isaia 56. 6.* & ita Religio est *domus orationis*, & i *celis* *la vinaria*, vinorum scilicet cœlestium & pœnetrale Regis cœlestis, quod ipse suos dilectos introducit, & reuelat sua secreta.

IV.

f *Genes. 2. 8.*  
g *Prouerb. 8. 31.*h *Isaia 56. 6.*  
i *Cant. 2. 4.*

V.  
k *Matr.* 5. 14

l *Philip.* 2. 15.

VI.

m *Isaia* 6. 2.

QVINTVS finis est, vt Religio esset tanquam *k candelabrum* Ecclesie, & ciuitas *supra montem* altum posita, vt luceat omnibus fidelibus qui in domo sunt, tam doctrinae quam vitae exemplaris lumine, ad confirmandam veritatem & puritatem Christianae Religionis, & ad exhortandos reliquos ad eam sequendam, & glorificandum Patrem nostrum, qui est in Coelis; vt impleant quod Apostolus dixit; *l vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione, in medio nationis prauae & peruersae; inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.*

SEXTVS finis fuit, vt Religio esset locus constitutus ad comparanda multa merita, & magna incrementa virtutum; ita vt, qui in ea degunt, ad altissimos gloriae gradus ascenderent, ad consortium primariorum Angelorum, qui in ea sunt; eò quod vitam ducunt Angelicam potius, quam humanam. CONSIDERATIONE horum sex finium, si sum Religiosus, merito curabo sex hosce affectus & desideria, quae sint instar *m sex alarum Seraphinorum*, quos vidit *Isaias*, perfecti scilicet amoris Dei, & proximi affectum, desiderium imitandi perfectionem Dei & Christi D. N. fugiendi occasiones peccatorum & imperfectionum; vt quam fieri possit maximè, salutem meam assecurem; conuersandi familiariter cum Deo D. N. vitam ducendi exemplarem ad aedificationem proximorum, & crescendi, in virtutibus, donec magna gloriae incrementa obtineam. His alis volans, accelerabo ad

exe-

exequendas obligationes mei status, confidens prouidentia Diuinæ, quæ Spiritu suo adiuturæ sit meum volatum & conatum. O Pater misericordiarum, siquidem me ad statum adeo altum, & ob fines adeo præstantes, me vocasti, supplex oro, ne vita mea sit vilis & abiecta; sed vitæ altitudo consona sit cum ipso statu, vt vtroque tandem obtineam altitudinem gloriæ. Amen.

*SEX hi fines erunt tanquam regula, siue ammissis, ad cognoscendas vocationes hominum ad statum Religionis. nam, quæ à Deo sunt vocationes; alicui semper ex prædictis motiuis innituntur.*

## PUNCTVM. II.

DEINDE considerandum, eandem prouidentiam Diuinam statuisse, vt essent varia Religiones, & diuersa Instituta ac Regula; vt maiori cum suauitate obtinerentur fines prædicti; cuius rei tres fuerunt præcipuæ causæ.

PRIMA, sicut perfecta charitas, varios habet actus circa gloriam & cultum Dei, & utilitatem proximorum; exercens erga eos varia opera misericordiæ, Spiritualia & Corporalia, vna verò sola Religio non posset in omnibus simul eminenter esse conspicua; statuit Diuina sapientia, vt varia essent Religionum Instituta, quorum aliqua magis eminerent in contemplatione & amore, vniente cum Deo; alia Instituta eminerent in rebus

I.

*Septem genera Institutorum.*

Diuini cultus, alia in pœnitentia, & serua carnis afflictione; alia in operibus misericordie spiritualibus erga proximos, docendo eos, cõcionando, sacramenta administrando; alia in operibus misericordie corporalibus, ministrando infirmis, redimendo captiuos, defendendo Ecclesiã ipsam à suis hostibus: Et hac ratione, in omnibus simul Religionibus splendent omnia opera Charitatis excellenter & eminenter: quia alie in re aliqua excellunt, in qua relique non ita. Quare Religio est sicut illa *domus*, quã *Diuina adificauit, sibi sapiẽtia fundatam super columnas septem*, quæ sunt septem hæc Instituta, quæ iam retulimus, elaborata varijs ornamentis mediõrum efficacissimorum ad suos fines consequendos; qualia sunt, frequentia in vsu Sacramentorum, examina conscientie, directio Magistrorum spiritualium, silentium, clausura conueniens, & alia similia.

a *Prou. 9. 1.*

II:

**DAI N D E**, quoniam Christus Redemptor noster, exemplar est infinitæ perfectionis, in omni genere virtutum; ita vt vna Religio non possit excellere & eminere in imitatione omnium eius virtutum, propter magnam nostram imbecillitatem ad tantam expeditionem; adiuuent prouidentia Diuina hanc viam variarum Religionum, vt alie eum imitarentur excellentissimè in paupertate, alie in obedientia, alie in Zelo animarum, alie in humilitate, & humilibus exercitijs; præbente vnaquaque Religione

exem-

exemplum suæ virtutis, in qua excellit, alijs Religionibus, & toti Ecclesiæ, quæ hoc nomine est instar Reginæ, & sponsæ Iesu Christi, iuxta illud Davidis *b adstetit Regina à dextris suis investitu deaurato, circumdata varietate,* simili varietati vestitus sponsi sui, cuius illa sequitur vestigia Et iuxta hoc, si sum Religiosus attendere debeo, quid illud præcipuum sit, in quo mea Religio emicat, tam in imitatione Christi D.N. quàm in operibus charitatis, quæ eius amore & intuitu eligit; & studere, ut in eisdem ego etiam excellam, non tamen alia negligendo: ut ob singularem hanc diligentiam, illud in me locum habeat, quod Ecclesiastica singularis applicat Sanctis: *c non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi.*

*b Psal. 44.*  
10.

*c Eccl. 44.*  
20.

## III.

TERCIA causa fuit, quoniam Deus D.N. optimè nouit, diuersissimas esse hominum inclinationes & constitutiones; esseque difficilimum, accommodare se omnes vni viæ, siue modo tendendi ad perfectionem; statuit itaque Diuina sua prouidentia, ut essent varij modi, ut singuli aliquem inuenirent inclinationi suæ & viribus accommodatum, & hac ratione salutis suæ certius consulere, magisque in virtute proficerent. nam aliqui propendent in solitudinem, nocetque illis cum hominibus conuersari; alij contrà ad conuersandum propendent, quibus nocet solitudo; alij constitutione corporis sunt robusti, & inclinant ad subeundas magnas asperitates, alij debiliores tanta non possunt ferre. Ut itaque omnes perfecti

d Sapi. 8. l.

perfecti esse possint, vult Deus D. N. varias esse vias & modos omnibus accommodatos, & paternâ suâ prouidentia inclinât ac dirigit vnumquemque ad eum modum, qui magis illi cōuenit. *d O infinita sapiētia, quæ omnia facis fortiter, & disponis suauiter! gratias tibi ob æfidelicatâ intra tuâ Ecclesiam domum Religionis, cum magna Institutorum varietate, quæ eam tanquam columnæ sustentant; & mensam varijs edulijs refertam, regularum & legum, ad necessitatem & oblectationem in ea habitantium accommodatarum. & siquidem altissima tua prouidentia dignata est me vni harum columnarum adiungere, liga me quæso fortissimè cum ea, vt semper in tuo seruitio perseuerans, iuxta meum statum, eotandem perueniam, vt etiam columna in templo Sancto tuo, vt foras non egrediar amplius, in æternum. Amen.*

e Apocal. 3.  
12.

## PUNCTVM. III.

**T**ERTIO consideranda cura & sollicitudo Diuinæ prouidentia, in vocandis hominibus ad statum Religionis, & ad vnumquodque Institutum; in qua re perpendenda sunt quædam eminentiora in hac vocatione.

I.

**PRIMUM**, quod nullus possit præstantem hunc statum suscipere, nec ingredi Religionem, vt oportet, nisi sit vocatus à Deo, speciali ad id vocatione. nam castitas, obedientia, & paupertas Religiosa, adeo excedunt naturæ nostræ inbecillitatem, vt nemo possit can-

tum



ri animi & audaciæ per ipsum habere, vt illas  
 sibi promittat, aut seruare possit. Ideoque  
 Christus D.N. de castitate loquens, dixit: *a* **Matt. 19.**  
*non omnes capiunt verbum istud; sed quibus da-* **11.**  
*tum est, à Deo scilicet: & iterum: b nemo potest*  
*venire ad me, (imitando eius perfectionem) b Ioan. 6.*  
*nisi Pater cælestis traxerit eum; suis videlicet* **44**  
*inspirationibus eum vocando, & auxilium*  
*adueniendum porrigendo.*

## II.

DEINDE perpendam, quoniam Religio-  
 sus status non est omnibus necessarius,  
 vt perueniant ad cælum; ideo Deum D.N.  
 non vocare omnes ad illum, sed tantum quos  
 vult, idque non ipsorum meritis, sed mera sua  
 gratia & misericordia; & ita sæpe relinquit  
 in seculo optimos; & vocat alios non æquè  
 bonos, vt eos perficiat: quia ita vult illis be-  
 nefacere, iuxta illud quod aliquando ipse  
 dixit suis Apostolis: *c non vos me elegistis, sed* **Ioan. 15. 16**  
*ego elegi vos, & posui vos in hoc statu; vt eatis*  
*per mundum vniuersum, & fructum afferatis,*  
*& fructus vester maneat. Gracias tibi Magister*  
 supreme, quòd me in tuum discipulum ele-  
 geris, vt sim in schola perfectionis, relictis  
 alijs multis, qui præ me dignerant ad illam  
 venire. Non potuissem ego statum hunc eli-  
 gere, nisi tua misericordia me ad id præue-  
 nisset: siquidem ergo dignatus es me elige-  
 re, supplex oro, vt me adiuues ad fructus  
 merendos, qui permaneant in vitam æter-  
 nam. Amen.

## III.

TERTIO perpendam, eos qui à Deo  
 vocantur

d Luca 14.  
24.  
e Cap. 9. 62.

vocantur ad Religiosum statum, debere statim tali vocationi respondere; quia magna gratia est, & singularis fauor Dei erga ipsos; insignis verò inurbanitas esset & ingraticudo, magnaque ruinæ occasio, illi resistere; quia fortè idem Dominus æterna sua sapientia, vidit hunc statum esse illis medium suæ salutis, quem si repellant, dicet illis quod inuitatis nolentibus venire ad cænam, quod scilicet, *nunquam essent cænam ipsius gustaturi: & quod dixit alter, qui moras trahebat insequendo ipsum: e nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Quare magna solitudine attendere debeo, num sim aliquis ex vocatis. nam si id aduerto, & annuo vocanti; signum est esse me ex electis: quod si sequi renuam, & resistam, timere possum, esse me ex reprobis.

## IV.

QUARTO perpendam, eandem providentiam Diuinam, speciali vocatione vnumquemque vocare ad eam Religionem, quæ magis illi conuenit; attendendo simul ad duonam Deus, quæ est vniuersalis Religionum gubernator, omnibus prospicit de hominibus qui illas conseruent: quæ verò est particularis gubernator vniuscuiusque, inspirat cuique, & vocat ad eam Religionem, quæ sit magis ipsum adiutura, ad suam salutem & integram perfectionem.

Quare tali vocationi resistere, magnus est error. in ea enim, ad quam verè vocatur, facile & suauiter finem sum poterit assequi, quem

quem in altera aut non assequeretur, aut non  
 perseverare, in ea, eò quòd illi desit ad id  
 præstandum facultas, sicut in proxima Medi-  
 tatione est dictum. Ex hac consideratione,  
 gratias Deo D. N. agam, ob eam curam, quam  
 de omnibus Religionibus gerit; confidens in  
 eius Divina providentia, quòd sit illas ad  
 suam gloriam conseruaturus; quisque etiam  
 eam fiduciam habere potest, quòd sit ad eam  
 Religionem vocatus, quæ magis illi expedie-  
 bat; animum sibi faciens ad perseverandum,  
 & ascensiones, & incrementa virtutum, in  
 corde suo disponens, in loco; in quo à Deo est  
 collocatus, donec perueniat ad videndum  
 Deum Deorum in Sion.

Ps/al. 83. 7.

MEDITATIO XLVIII.

DE BONIS QUAE IN STA-  
 tu Religioso continentur, &  
 quàm sit præstans hoc  
 beneficium.

**A**D huius beneficij excellentiã co-  
 gnoscendam, conijciendi sunt o-  
 culi in miseras huius mundi, ex  
 quibus Deus ducit Religiosum; &  
 in excellentias status, in quo eum  
 collocat; ac denique in premia, quæ illis promit-  
 tit, in hac & in futura vita.